



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 1. Cardinalis Moroni novi ad Synodum Legati, nec non Lunensis Comitum adventus ad Tridentinam Urbem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CLXIV.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS,  
FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

*Cardinalis Moroni, novi ad Syno-  
dum Legati, necnon Lunensis  
Comitis adventus ad Tri-  
dentinam urbem.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

*Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
l. 20. c. 11.  
n. 1. & 2.  
Nicol. Pfol.  
act. Conc.  
Trid. p. 280.  
Spond. hoc  
ann. n. 33.  
Sarp. l. 7.  
pag. 671.  
Visconti t. I.  
pag. 205.*

**T**andem die decima Aprilis pridie  
ad festum Paschatis, Moronus  
Cardinalis Tridentum venit. Ad-  
ventantem exceperant, eique obviam  
prodierant veteres Legati, Oratores ac  
Synodi Patres, quos ipse etiam Madru-  
tius Cardinalis non ita pridem Triden-  
tum reversus comitabatur. Postquam  
igitur Moronus ad Sanctæ Crucis Ec-  
clesiam urbi sat vicinam advenerat, e-  
quo descendens Templum ingressus est,  
ac mutata veste Cardinalitiam purpu-  
ram induit, muloque vectus usque ad  
Urbis portas processit, ubi inter sacros  
Hymnos solemni ritu decantatos a Cle-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

ro excipiebatur: itaque civitatem ingressus, ac Pontificio habitu insignis sub umbella Ecclesiam S. Vigiliæ toto populo festively acclamante accessit, ubi etiam Hymno Ambrosiano decantato omnibus adstantibus bene precabatur, Diaconus vero ejus nomine centum annorum, totidemque quadragenarum indulgentias promulgabat. Peractis hisce solemnibus Cardinalis Moronus ad suum Palatium pedes incedebat, iisdem Nobilibus eum comitantibus: altero autem die Paschatis festo rem Divinam solemniter peregit, eandemque noxarum veniam indulgit.

Altero die Lunensis Comes Regis Catholici Orator pariter Tridentinam urbem solemniter pompa ingrediebatur, quem præprimis Franciæ Oratores visum ibant, & quidem Lansacus verba faciens, eidem hæc exponebat: „mihi „a Rege Domino meo, atque a Regina „Regni Administratrice in mandatis datum, ut omnia deinceps agenda Eminentiae vestrae communicarem; cum „nil aliud ab illis exigatur, nisi quod „vel maxime in Religionis utilitatem „cedit: si vero quid speciale Regem „Franciæ concernens ipse exponere vellet, nos operam nostram conferemus „eo prorsus studio, ac affectu, quem arctum inter utrumque Regem foedus,  
ac

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

„ac perfectæ amicitiae vinculum de-  
„poscere videntur. „ Ad hæc respon-  
dit Comes, quod ferme eadem sibi in-  
iuncta forent, ac proin nil eorum præter-  
missurus esset, quibus piæ illorum vo-  
luntati satisfacere possit.

§. II.

*Moroni Cardinalis colloquium cum  
Principum Oratoribus.*

*Pallav c. II.*  
*n. 3. & 4.*  
*Visc. p. 211.*

Sub idem tempus Moronum Cardina-  
lem omnes Principum Oratores,  
cunctarumque Nationum Episcopi sa-  
lutatum venerant: inter eos autem Galli  
solidæ reformationis necessitatem eidem  
exponebant, eum rogantes, ut triginta  
quatuor illos articulos exponere vel-  
let. Ad primam petitionem, quæ  
Hispanis æque ac Gallis erat com-  
munis, reposuit Cardinalis, quod eo-  
rum desideria jam dudum prævenisset  
Pontifex, hujusque rei executionem  
ipsimet brevi conspecturi essent: ad  
alterum vero caput declarabat, quod,  
priusquam de hoc negotio ageretur,  
Cæsaris consilium esset expetendum,  
ut omnibus satisfaciendi ratio communi  
suffragio excogitari valeat: his adde-  
bat Cardinalis: „rupta omni mora ad  
„Imperatorem contendere jubeor, brevi  
„rediturus. „ Hoc responso Galli, cete-  
rique